

1182) et investituram. Super qua libertate petivit episcopus et accepit sacrum pragmatium, hoc est regale privilegium aurea bulla munitum¹, quod diebus illius episcopi multum valuit, postea vero nichil causis instantibus extantibus, quas modo legimus in libris experientiae, de quibus melius est tacere quam inutiliter garrere. Talibus et huiusmodi taliter decisis articulis deinceps de iniuriis ecclesiae illatis Fredericus dux convincitur, coram omnibus arguitur et confunditur, ab omnibus arguitur et confusus emendationem pollicetur. Qua iurata et per magnos fideiussores firmata concilium solvitur et in osculo pacis confederati ad propria revertuntur. Facta sunt haec anno suae ordinationis quinto, et dux Fredericus duobus postea superpervixit annis, in quibus neque quod promiserat recte implevit, neque ab iniuriis ecclesiae Dei suos officiales coercuit. Reliqua sermonum episcopi pauca quidem de multis et quomodo postea ducatum assumpsit cum episcopatu, ecce haec annotata sunt ultimo vitae suae anno. Verum haec omnia per anticipationem dicta locum suum desiderant.²

Igitur post consecrationem episcopi Heinrichi eadem aestate Boemi nostri maiores natu persecu-

¹) Vgl. f. 10. 11. Cod. dipl. Boh. I, 316. in fol. 10. 11. der Konigsurkunde, aber nicht f. 10. 11. d. Goldbullen.

²) Nämlich zu 1187,